





8845 1774,60.  
EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

*Vtrum fideiussor ante  
solutionem praestitam, contra debitorem  
ad liberandum agere possit  
continens.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAЕ  
IN PROVINCIA SUPREMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR.  
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

IN AUDITORIO ICTORVM

D. I. MAY. MDCCCLXXI.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES FRIDERICVS MATTHAEI

DRESDANVS.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.



EXCELLENTISSIMAE DIGNITATIS  
DOMINO DOMINO  
HIERONYMO FRIDERICO  
STAMMERO

CLIENTELARVM PRIETIZ GROSHERMDSDORF  
ET HARTMANNSDORF

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DVCIS  
ELECTORIS SAXONICI

PROMARCHIONI LVSATIAE SVPERIORIS REI  
PVBLICAE GVBERNANDAE AMINISTRO ET  
CONSILIARIO INTIMO INGENVAE ECCLESIAE  
CATHEDRALIS MISENENSIS CAPITVLARI

DOMINO INDVLGENTISSIMO

EXCELSITUTSARIAVE DIGNITATIS  
DOMINO DOMINO HIERONIMO HEDERICO  
HIERONYMO HEDERICO  
SATURNIO

CITIZENIUM RUM BRITANIAE GROSSENBURG  
ET HARTMANSDORE  
SERVAMUS QD CIVITATIS MATERIA DEI  
HIC TOTORUM ALEXANDRI  
TOMARCHONI FAS STIAE SUBLIGERI ET  
PATERICAE CARIBINAVAD A MUNIFICENTIA  
CATHARIBUS IN HMD INGENIA COCTILIA  
CATHERINA MELISSA CATHERINA

DOMINO DEDICATISSIMO

EXCELLENTISSIME  
ET PERILLVSTRIS DOMINE  
DOMINE INDVLGENTISSIME

**Q**uo crebrior olim parentis mei de virtute  
*TVA* eximia que doctrina, iustitia, ae-  
quitate, fortitudine ferendis pro patria  
quibusuis laboribus insigni toties fere, quoties e con-  
spectu *TVO*, id est, a muneric functione in Curia *TVO*  
tum praesidio gloriante rediisset, quo que iucundior ad  
familiares, ut in quo sibi in primis placere nec tamen  
unquam animo suo facere satis videbatur, sermo, eo  
non tantum maturius ille omnes animulae meae ignicu-  
los ad magnitudinis *TAE* admirationem accendit,  
et puerum a tenellis excelsi *VI* nominis cultu initia-  
uit

uit, verum hoc etiam diligentius eius clientelae sanctitatem, in quam esset cum tota familia a TE receptus, tanquam amplissimam suae facultatis partem pietati nostrae ac fidei commendauit. Et ille quidem e viuis discessit, factumque est, quod praeuiderat, ut orbi **TVO** patrocinio traderemur, hoc vnicē contra fortunae iniurias defendendi. In quo cum tanta felicitatis nostrae spes posita sit tam que gloriosum apud omnes bonos habeatur, inter **TVO**'s clientes aspici, patere **EXCELENTISSIME DOMINE**, ut has diligenciae tiae nostrae primitias in pignus fidei atque obsequii **TIBI** offeram, me que publico ritu deuotum in posterum quoque tutelae **TVAE** ac patrocinio totum tradam. Qno si me digneris **TE** que Principi et rei publicae, cuius magnum praesidium ac decus es, diutissime saluum atque incolumente praefestet Deus optimus maximus, non anxie de fortuna mea sollicitus ero mihi que summa omnia consecutus esse videbor.

## EXCELENTISSIMAE TVAE DIGNITATIS

LIPSIAE

CAL. MAIIS.

AN CIOIOCCCLXXI

CVLTOR DEVOTISSIMVS

JOANNES FRIDERICVS MATTHAEI



VTRVM FIDEIVSSOR ANTE SOLVUTIONEM  
PRAESTITAM CONTRA DEBITOREM AD  
LIBERANDVM AGERE POSSIT.

§. I.

**V**ocabulum fideiussionis non simplex sed compositum esse, et in hoc ut dicam veriloquio duo, fidem nempe et iussionem concurrere nemo facile negabit, praesertim si considerare velit, verbum fideiubere in legibus idem esse, ac fide sua iubere. Hanc ob causam fideiussor dicitur *is*, qui stipulanti creditor i alieno nomine id est pro alio debitore promittit, eum in finem, ut quod in obligationem deductum tutius creditor a debitore principaliter debeat. Ex quo apparet, effectum huius negotii in regula eum esse, ut fideiussor in subsidium, si debitor solutionem non praestet conueniri, et ad

A 2

satis-



satisfaciendum creditori, cogi queat. Eo enim animo fideiussor principali obligationi accedit, et ut fidem habeat creditor debitori, se obligatum reddit. Et quamvis a Doctoribus differentia inter mandatorem et fideiussorem constitui soleat, hoc tamen nullam meretur attentionem, cum discrimen tantum in conceptu constat, in effectu autem vterque conueniat.

§. II.

Fideiussionem cuicunque obligationi licitae, interdum quoque ex delicto resultanti antecedere posse, constat, quare non opus est, vt de his plura dicam. Incidit tamen hac occasione quaestio, circa quam fluctuans est iudicium interpretum. Dubitamus nempe, vtrum vxor seruandae dotis causa, fideiussorem a marito accipere possit. Negat sententiam cum aliis Ludoicus in doctrina Pand. ad tit. *de fideiussor.* §. 7. et rationem eam esse existimat, quod si admireremus fideiussorem, causa perfidiae in connubio generetur. Praesidii loco prouocat ad l. 2. C. ne fideiuss. dot. dent. cuius verba adponere licebit. Generali ait Iustinianus definitione constitutionem pristinam ampliantes, sancimus, nullam esse satisfactionem, vel mandatum pro dote exigendum, vel a marito vel a patre eius, vel ab omnibus, qui dotem suscipiunt. Si enim credendam mulier se suamque dotem patri, mariti existimavit, quare fideiussor vel alius intercessor exigitur, ut causa perfidiae in connubio eorum gene-

generetur. Ex verbis ultimis, quae rationem rescripti inuoluunt, confirmata videtur forsitan sententia; maritum ad securitatem dotis nomine constituendam non admitti.

§. III.

Sed merito dubito, quod lex citata probationi adstinet, dummodo regulas artis hermeneuticae adhibeamus. Prouocat Iustinianus ad antiquam constitutio nem, quam suppeditat l. i. secundum quam omnis lex siue ex iure, siue ex consuetudine proficiscatur, ut vir vxori fideiussorem seruandae dotis, exhibeat, penitus abrogatur. Hanc dispositionem in lege 2. ad patrem quoque et alias personas dotem constituentes generaliter extendit, et ne cogi possint ad satisdati onem dotis nomine praestandam, sua auctoritate iubet. Distinguendum itaque mihi videtur, vtrum maritus sponte fistat fideiussorem, vel an inuitus ad praestandum cautionem cogatur. De priori casu non cogitat Imperator, quod indicant verba l. i. *siue ex iure, siue ex consuetudine*. Haec enim praesupponunt, certam adesse dispositionem, quae maritum ad cauendum compellit, quam necessitatem vocabulum *exhibit* optime demonstrat, cum is a quo exhibitionem rei de sideramus inuitus ut petito satisfaciat cogi possit. Cui quoque accedit l. 2. in qua virtutur Iustinianus verbo *exigendam* quod pariter ex parte actoris ius perfectum denotat,



cum eorum, quae ex alterius voluntate dependent, ex actionem frustra petamus. Prohibitio itaque quae legge 2. continetur ex mente Imperatoris solummodo spectat causam, si vxor vel pater aut illi qui constituent dotem satisfactionem reluctante quamvis marito desiderant, quia tali modo causa perfidiae in conubio generari potest, non vero interdicit mariti sponte- am oblationem, maritus enim fauori pro se introducto potest renunciare, et magis amore erga vxorem com- motus quo facto, causa perfidiae penitus cessat, id fecisse presumitur. Quam sententiam confirmat Carpz. P. II. CXLII. d. 17. n. 8. qui tamen mihi properea taxandus videtur, quod n. 3. existiment, valere cau- tionem, quam maritus ante sponsalia contracta constituit quia non a marito, sed ab eo, qui maritus speratur haec satisatio petatur. Constat enim inter omnes, dotem sine matrimonio concepi non posse, cum sit substantia, quae eo tempore quo matrimonium contrahitur marito ad onera matrimonii sustinenda datur. Hac ex causa spon- sa, quae sponso dotem dedit, existente concursu cre- ditorum non gaudet tacita hypotheca, sed tantum per- sonali priuilegio fruatur. Ait enim ICtus l. 24. ff. de Iur. Dot. si sponsa dotem dederit, nec nupserit, vel mi- nor duodecim annis ut vxor habeatur, exemplo dotis, condicione fauoris ratione priuilegium quod inter perso- nales actiones vertitur, tribui placuit. Corroboret et decisionem praedictam Weichbild, art. 24. dessgleichen darf

darf sie auch die Gewehr des Guthes nicht räumen, die Erben weisen sie denn ab mit recht, oder mit Güte, hat sie aber Bürgen dafür, so darf sie die Erben nicht mahnen weder in der Güte oder zu recht, so soll sie die Gewebe räumen, und die Gelübde der Bürgen folgen.

#### §. IV.

Sed haec in transitu tantum dicta sint. Nunc deueniamus ad id cuius causa hanc schedulam conscripsimus. Et ut res eo clarior fiat, sequentem singamus casum. Titius Caio debet sumمام mille thalerorum, cuius restitutionem praecedente denunciatione promittit Cum vero creditor debitori soli fidem habere nolit intercedit Sempronius et securitatem Caio pollicetur, ea sub lege, ut in subsidium si debtor principalis solutionem haud praestiterit, creditorem indemnem reddere velit. Titius diu distrahit solutionem, et Caius quem securum reddit fideiussio sempronii, eandem minime vrget. Ast hic, qui ex intercessione praeiudicium sentit, conuenit Titium et ut eum vel per praestationem solutionis vel alio modo a fideiussione liberet, desiderat. Vtrum contra debitorem pro quo nitercedit sempronius seque obligatum reddidit creditori, actio cum effectu institui possit, dubium mouetur.

#### §. V.

Negatiua forsitan sententia defendi posset ex dupli fundamento. Partim enim obstat fideiussiori patrum

Etum



Etum, quo tamdiu se obligatum reddidit, donec solu-  
tio creditori facta, et prior obligatio principalis pe-  
nitus extincta. Ab hoc cum sponte suscepit, et per le-  
gem, quam sibi dixit, libertati renunciauerit, recedere  
pro arbitrio non potest, potius id, quod ab initio  
erat voluntatis, ex post facto sit necessitatis. Nec mo-  
uet dubium, quod quilibet a lege sibi dicta recedere  
queat, hoc enim verum est, quando interesse alterius  
non concurrit, ast in hoc casu aliter se res habet, cum  
fideiussio suscepta contineat quoque fauorem et utilita-  
tem debitoris, cui nisi securitatem promisisset fideiussi-  
or, creditor nunquam habuisset fidem. Imputandum  
potius est fideiussori, qui intercessionem ad certum  
tempus non restrinxit, et sibi prospexit, versatur ita-  
que in culpa, quae efficit, ut de iniuria non sit audi-  
endus, cum volenti non fiat iniuria, et damnum,  
quod quis sua culpa sentiat, sentire non videatur.

## §. VI.

Sed hoc parum efficit. Aut enim quaestio est  
de creditore et fideiussore, aut de hoc et debitore.  
In priori casu frustra petit fideiussor liberationem, et  
actio quam idcirco mouet, est frustranca. Respecul  
creditoris in cuius gratiam potissimum siebat inter-  
cessio, fideiussor ex lege conventionis ita est obligatus  
ut nisi solutionem doceat, ad liberationem prouocare,  
et discessum parare nequeat, cum nihil tam naturale  
sit,

sit, quam ut aliquid eodem dissoluatur modo, quo coaluit.  
Ait ratione debitoris aliter est sentiendum. Cum enim ei incumbat, ut solutionem pecuniae, quam bona fide a creditore accepit, praescribet, eius quoque est officium ut fideiussorem, mediante cuius aes alienum, ut consuleret necessitati, contraxit, ab obligatione liberum reddat. Quis enim quaeſo fideiussionem ſusciperet; ſi ſciret vel faltem praefumere posſet debitorem ſolutionem nunquam eſſe praefuturum. Triflīs eſt conditio eius, qui dum bona mente et amico animo intercedit, in ſubſidum ut ex ſuo patrimonio id, quod nunquam accepit, ſoluere tenetur; aſt longe triflīs fatum obuenit illi, qui, dum ſibi proſpicere et ne conditio fiat deterior; inuigilare vult, a mediis agendi, penitus excluditur.

### §. VII.

Aletrum, quod ſententiae aduersariorum fauet, in eo conſiſtit, quod leges fideiuffori contra credito-rem actionem, per quam ſibi consulere potest tribuant. Ait enim Paulus. I. 28. ff. deſideiuffor. ſi con-ten-dat fideiuffor caeteros ſoluendo eſſe: etiam exceptionem ei dandum, ſi non et illi ſoluendo ſint. Ex qua lege com-munis fertur ſententia, quod creditor qui diſſert ex-actionem debiti, ad replicandum aduersus exceptionem a fideiuffore prouocante oppofitam, ſub poena priuationis, compelli poſſit. Et haec eſt exceptio,

B

qua



qua aliquis vti in remedio ex lege diffamari inuitus, in regula enim actio instituenda ex arbitrio vnius cuiuscunque dependet, ad agendum, vel replicandum ad euitandum praeiudicium ex silentio ipsi imminens adigi potest. Interuit vero hoc beneficium fideiussori, ne pereat exceptio ordinis siue excussionis, cui in specie non renunciauit, et creditori incumbit necessitas, debitorem principalem conueniendi et ab eodem solutionem exigendi, quia hoc omisso frustranea contra fideiussorem est actio. Cum igitur leges determinent modum, per quem is, qui intercedit, se ab hoc negotio saluo iure creditoris liberare queat, insuper fideiussor cum creditore potissimum contraxerit, in eius enim gratiam obligationem accessoriā suscepit, et ex pacto se eidem obligatum reddidit quod potius contra hunc ad disoluendum negotium, quam contra debitorem actio instituenda sit, argumentum trahi posse videtur.

### §. VIII.

Sed nechoc ipsis praefabit praesidium. Quamuis non negamus, fideiussorem remedio prouocatorio ex lege si contendat vti, et creditorem conuenire posse, vt liberetur ab obligatione, inde tamen non fluit, ipsi denegandam esse actionem contra debitorem principalem, cuius obligationi minus principaliter accedit, eandemque pinguiorem efficit. Vtraque enim actio diuersum habet finem; lex 28. ff. de fideiussorib. prospicit fide-

fideiussori ne fiat inanis exceptio ordinis, et hac ex causa ad replicandum cogit creditorem, actio ex adverso, quae contra debitorem principalem instituitur huius est efficacie, ut fideiussor nullo respectu habito ad exceptionem excusonis simpliciter liberetur, et debitor principalis ad satisfaciendum creditori, adigatur. Cui accedit, quod lex 28. fideiussori tribuat beneficium, quo vero actio ipsi alias ex natura negotii competens, nimine tollitur.

### §. IX.

Quae cum ita sint, potiori adsfirmamus iure fideiussori actionem contra debitorem principalem, vt ipsum ab intercessione liberet, vtique competere. Obligationem nempe ex fideiussione interposita respectu debitoris eam esse, ut quounque fieri possit modo indemnem reddat fideiussorem non negabis, iniquum enim esset, ut huic officium humanitatis fieret damnosum. Haec indemnitas praestatio non solum in eo versatur, vt debitor summam, quam forsitan fideiussor praestare tenebatur, restituat, sed etiam vt eundem ne sentiat praeiudicium, ab obligatione, quae creditori deuinatum reddiderat, liberet. Hoc fideiussor iure petit, ne, si debitor in eam incidat conditionem, quo minus soluere queat, ex proprio matrimonio creditori praestare teneatur summam cuius restitucionem frustra a debitore querit. Tutius etenim

B 2

est,



est, rem intactam habere, quam post vulnus remedium quaerere. Nec iuri contrarium est, ob prae*iudicium* quod e*quidem* nondum imminet, sed tantum timemus ut securitatem ab alio exigamus. Nunquam enim Praetor cautionem de danno infecto admississet si petitionis iniquitatem animaduertisset.

### §. X.

Sed ne sine lege loquamur, audiamus hac de re Marcellum *l. 38. §. 1. ff. mandat.* Non ait *absimilis illa*, *qua frequentissime agitari solet, fideiussor an et prius, quam soluat, agere possit, ut liberetur.* Nec tamen semper expectandum est, ut soluat aut iudicio accepto condemnetur, si diu in solutione reus cessabit, aut certe bona sua dissipabit, praesertim si domi pecuniam fideiussor non habebit, *qua numerata creditori, mandati actione conueniat.* Obiicies forsan *ICtum* in hac lege tantum agere de exceptione, si nempe debitor diu dissulerit solutionem, aut bona sua dissipare incipiat non vero constituere regulam. Quam ob causam quoque Menken. ad Paud. lib. XLVI. tit. i. §. ii. determinationem temporis arbitrio reliquit iudicis, et hanc actionem post viginti duos annos admissam fuisse, responso facultatis Lips. Iuridica probat. Contentientem hac in causa habet Carpzouium P. II. Const. El. XIX. def. 12. n. 6. seq. Sed negamus Marcellum de exceptionibus tantum in hac lege dixisse. Respicit §. 1. ad initium legis, quod indicant

cent verba. *Non al similis.* In priori agitabatur quaestio, vtrum domus pars, quam Titius obligandam filio suo accommodauit, arbitratu iudicis liberari debet? Respondet Marellus, ex persona debitoris, itemque ex eo, quod inter contrahentes actum esset, nec tempore, quo res, de qua quaeritur obligata fuisset, ferendum esse iudicium. Hoc et adplicat ad fideiussionem obuenientem, ne vero approbata videatur sententia, ac si statim post intercessionem peti possit liberatio, cum tali modo deciperetur reus amici beneficio, intenimpstue agendo et intercipiendo ipsi, quod antea sponte et liberaliter praefliterat officium, iubet ut per aliquod temporis spatium durauerit intercessio, et hoc exprimit per vocabulum *dura*. Non itaque inuenies exceptionem, sed potius terminos habiles sine quibus regula, quodante solutionem fideiussor quaerat liberationem, non potest intelligi. Hivero nunquam constituunt exceptionem, sed ipsam efficiunt regulam, cum alias omisis illis regula non valeat.

## §. XI.

Probat quoque decisionem nostram *I. 6. ff. de contr. tut.* vbi Paulus tuori, qui pro pupillo se obligavit, ante solutionem praefstatam actionem contrariam tribuit. Existimabis forsitan hanc legem dispositionem singularem circa tutelam inuoluere, quae ad alios casus non trahienda. Sed non video, quomodo hoc defendi possit, non

B 3

enim



enim pro pupillo, qui alias in iure non exiguum pro-  
meretur fauorem, sed potius contra illum agit, eun-  
demque quamvis solutio nondum facta ad indemnita-  
tem compellit. Hac ex causa, ut illa dispositio ad  
alios quoque casus intercessionis applicari queat, mini-  
me dubitantum esse, censemus. Nec alienus ab hac senten-  
tia est Pontifex c. III. X. de Fideiussor. Constitutus ait  
in praesentia nostra Magister sua nobis assertione mon-  
stravit, quod pro Cancellario tuo tempore Conc. Lateran.  
in quadam summa pecuniae intercessit: quam quia usque  
modo debitor non perfoluit, se adserit plurimas a Creditori-  
bus Bononiensibus molestias perculisse et debitum augmen-  
tatum. Ideoque mandamus, quatenus si legitime tibi de  
huiusmodi assertione constiterit, praefatum debitorem, ut  
eum a predicta intercessione sine dilatione prorsus absoluat,  
Ecclesiastica censura compellas.

### §. XII.

Obstare nobis grauter videtur. l. io. C. Mandat  
si pro ea contra quam supplicas, fideiussor seu mandator  
intercessisti, et neque condemnatus es, neque bona sua eam  
dilapidare postea coepisse comprobare possis, ut tibi iustum  
metuendi causam praebeat, neque ab initio ita te obliga-  
tionem suscepisse, ut eam et possis ante solutionem conuenire,  
nulla iuris ratione, antequam satis creditori pro ea fece-  
ris eam ad solutionem urgeri certum est. Generalem  
hic inueniens decisionem, quae tantum exceptionem si  
debitor

debitor bona dissipare incipiat, admittit. Videamus itaque quomodo haec lex interpretanda, ne inter illam et leges Pandectarum intercedat pugna, cum Imperator Iustinianus antinominas iuris omni studio evitare voluerit. Distinguendum nempe est, an fideiussor a debitore solutionem debiti sub colore, quod ipsi imminentre possit praetudicium exigat, vel an liberationem tantum a fideiussione petat. Illud non potest fieri, nisi doceat, se solutionem praestitisse creditori, hoc indicant verba *antequam satis creditori pro ea feceris*, hoc vero nullibi prohibitum inuenies, cum debitori nullum competit ius cogendi fideiussorem, ut in perpetuum obligatus teneatur. Cum itaque lex citata de libera-  
ne quae et alio modo, quam per solutionem contingere potest, nihil dixerit, liquido constat, dispositio-  
nem Imperatoris tantum ad casum specialiter expressum esse restringendam, et sententiam quam ex prioribus legibus demonstrauimus, minime impugnare.



Emmesturz am 18. Sept. 1514. Von dem  
Jahr 1514 ist eine weitere handschriftliche  
Liste der Güter des Klosters aufgetragen.  
Sie beginnt mit einer Übersicht über die  
Erlöse aus dem Verkauf von Wein und  
Bier. Darauf folgt eine Tabelle mit den  
Gütern, die im Jahre 1514 verkauft wurden,  
davon der Preis und die Anzahl der Stücke.  
Die Güter sind nach Art und Größe geordnet.  
Zuletzt steht eine Liste der Güter, die  
noch nicht verkauft wurden.







Leipzig, Diss., 1771 L-2

ULB Halle  
005 108 616

3







8845  
1774,60  
EXERCITATIO IVRIDICA  
QVAESTIONEM

*Vtrum fideiussor ante  
solutionem praestitam, contra debitorem  
ad liberandum agere possit  
continens.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAЕ  
IN PROVINCIA SVPREMÆ IVDIC. LVSAT. INFERIOR.  
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V U M

D. I. MAY. MDCCCLXXI.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES FRIDERICVS MATTHAEI

DRESDANVS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

